

fit, adeoque primum ac independens Ens. Sin verò per Naturam intelligunt Naturam naturatam, qua principium movendi & quiescendi est in eò, in quò est primum per se & non per accidens, tunc Natura illa naturata aut est à se aut ab aliò; Si à se tunc semetipsam produxit, quod à $\zeta\pi\nu$, cum nihil sui ipsius sit causa *positivè*. Si ab aliò, Ergò non erit prima, sed ista alia erit prior, quæ fuit DEUS.

§. 6. Notanter dixi, nihil esse sui ipsius causam *positivè*: Nam ipsi Athei, quastetigi, objiciunt, quod nihil sit causa sui ipsius, Arist. lib. 2. Phys. c. 3. hinc ita ratiocinantur: *Quicquid est à seipso, illud est causa sui ipsius, DEUS est à seipso; non enim habet aliam causam superiorem. Ergò DEUS est causa sui ipsius, quod absurdum esse putant idèò, cum impossibile sit, ut aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic prior & posterior esset seipso.* Resp. Tò esse à seipso bifariam sumi potest. I. *Positivè*, prout idem est ac influere esse in seipsum, vel dare sibi metipsi esse aliquod. II. *Negativè*, prout est, esse suum non habere ab aliò, seu aliam sui causam non agnoscere. Jam dicimus, DEUM non esse à semetipso *positivè*, ita ut sibi met ipsi esse quoddam dederit per influxum quendam realem, sic enim nihil potest esse sui ipsius causa. Est tamen à seipso *negativè*, hoc est, esse suum non habere ab aliò, & sic potest aliquid esse causa sui ipsius *negativè*, nam ad negationem essendi ab aliò, non requiritur positivus influxus in esse à seipso.

§. 7. *Secundò* DEI existentiam probant ex interno conscientiae testimoniò. Tum enim probi gaudent rectè factis, mali verò, quamvis nullam hominum vim ultriceni metuant, tamen suæ improbitatis intus & apud animum suum convicti exævescunt, hoc ipso convincuntur esse aliquid Numen supremum, quod & remuneret bonos & malos puniat. Hoc ipsum iudicium de bonè & malè factis sive consci